



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Multa bene gerit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

eiusmodi destinarat. Effecit etiam vt traderetur Patribus suggestus in celeberrimo sanctæ Vrsulæ templo, cum antea sepe eis locus ad euangelizandum deesset. Ipse verò octo dierum spatio (non enim longiorem ab Colloquio com meatū impetrarat) concionatus est sæpissime in æde principe, alibiq; cum germanice, tum Latine innumerabili auditorum numero, præsertim die Sanctis omnibus sacro, quo multa hominum conuenisse ad audiendum millia dicebantur. Liberatus deinde VVormatiensi Colloquio, cum vndiq; Ecclesiarū necessitatibus aduocaretur, haud diutius censuit piam postulationem frustrandam Argentoratensium Episcopi, & Canonicorum.

Conuenit Episcopum ad Tabernas Alsatias 1558.  
 quinq; ab Argentorato procul milliaribus mensura gentis. Aberant ij, cum quibus agi volebat *Argentoratensium Episcopum conuenit.*  
 Antistes de institutione Collegij: idcirco prope mensem retentus est, habitusque quasi Angelus Dei, atque interim populum iussus diuino verbo reficere, ac per natalitias Domini ferias etiam sacramentis ministrandis obire Pastoris vices. Apud *Multa bene gerit.*  
 Aulicos præcipue fructus laborum constitit. In Iudo quoq; Catechismum pueris tradidit, explicauit.

cauitque: eorundem & confessiones excepit. Quod tum ex maiestate concionum, tum ex suauitate catecheseos in admirationem, ac beneuolentiam rapti, teneras mentes, non secus ac parenti dulcissimo fingendas præbuerunt. Auebat ille lectam ac florentem, quam Argentorati vidit, iuuentutem excolere. Circiter mille numerabatur Scholastici, qui sic instituebantur, vt maiores aliunde prodire pestes, latiusq; per Galliarum, & Germaniæ Prouincias spargi nequaquam existimarent. Miserrimis ibi modis opprimebantur Catholici, qui recreari, ac respirare visi sunt cum in templo Episcopi de superiore loco dicentem ipsum audiuerent diuere super nuptiis Galileæ. Accurrerat promiscuus auditor, ac plurimus: gaudioque exultantes Orthodoxi circumiectis in Aduersarios oculis tacite videbantur exprobrare, ecquem è suis conferendum cum facundia, doctrina, modestiaq; illa haberent. At Canisius inter tantam vastitatem summum cepit animi solatium è Monasterio Virginum, quæ vel solæ, vel præcipuæ feminis virisque constantiæ, ac pietatis palmam abstulerant in ea vrbe. Adeo fortiter in medio Babylonis, neq; ad dexteram, neq; ad sinistram à mascula, & Catholica

tholica confessione declinantes, sequebantur Agnum quocumque iret, eius umbra protectæ, ne qua cuiusquam labefactari possent iniuria. Sæpius illas Pater mutua cum animorum, sanctaq; lætitia edocere institit, & ad perfectam sanctimoniam laudem accendere.

Inter hæc Friburgum per Brisgoiam excurrit de Collegij sede coram iudicaturus. Excepere per hospitaliter, & frequenter inuitarunt Academici Friburgenses: abeuntique dederunt in mandatis quæ apud Regem Ferdinandum de Academia illa instauranda, ornandaq; curari rogabant. Quæ ille haud illibenter recepit, delectatus cum religione Catholica, quam vigentem Friburgi, tum Theologis, quos sanè præstantes reperit. Apud se per diu tenere modis omnibus conabantur, sed facere satis eximiæ Caritati eorum, præclarisque iudiciis integrum non fuit: tum quod alia festinare cogebant negotia, tum vt mature Ferdinandum, antequam Francofordiam pergeret, conveniret. Extitit ille non vltimus ex ea peregrinatione fructus, quod cum per egregias ciuitates Sletstadium, Colmariam, Brisachum, Rubeachum transiret, multos in iis Catholicos nosse, & conso-

*Friburgum  
Brisgoie vi-  
sit, & alias  
nobiles ciui-  
tates.*